



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem
Contagiosam Aliosqve Morbos**

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Decimo Octauo Kalend. Septemb.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

Decimo Octauo Kalend. Septemb.

15.
Augusti.

Vide cap.
11. Apot.
Spir fol.
78.

Assumptio Sanctissimæ Dei genitricis Virginis
Mariæ.

Celeberrima hęc est omnium festorum Sanctissimæ Deiparæ festinitas, cō quod Marianæ œconomia sit completorium & coronis; soletque vniuersalis Ecclesia hanc vnicam ieiunio præuenire. Hodie namque totius generis humani facta est apud Deum aduocatrix, ostendens sacra vbera quibus æterni regis lactauit vnigenitum. Ob singularem sui excellentiam, ab Hungarioris vocari solet, *Dies Dominae*. In antiquissimis Ecclesiæ nostræ Tunglerloensis Litanij, *Ascensio*, appellatur, quæ vox licet communivsu Christo propria virtute conscedenti cælos sit appropriata, (qui nihilominus Marci ultimo assumptus esse dicitur) non tamen prorsus aliena est à stilo quorundam veterum Patrum, immò ipsius Ecclesiæ, ei adaptantis illud Canticor. 7. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum &c.* Sicut neque ille titulus quo in ijsdem compellatur, *Mater innupta*.

Vide Est.
in 4. dist.
30.

Opinatur autem Joanne Eckius Mariam obdormientem seu à vita migrantem, non esse pinguisdam habitu morientis. Loquens enim de Collecta huius diei: *Veneranda nobis Domine huius diei festivitas opem conferat sempernam, in qua sancta Dei genitrix mortem subiit temporalem; nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ &c.* Sic dicit: Collectam aiunt fecisse S. Gregorium; & secundum hanc sine dolore mortua est: non igitur pingi illa debet habitu & facie egrotantis. Judocus vero Clichtouæus in lib. de Assumptione B. Mariæ, paulò ulterius progreditur: sic enim habet cap. 6. Tam fuit à dolore carnis extranea, quam à corruptione fuerat aliena. Crediderim eam non decubuisse lecto more ægrotantium, & qui morbo pressi claudunt hanc vitam, (cum venia pictorum & sculptorum) cum neque infirmitate vexata credi potius debeat, neque debilitate prostrata, sed flexis reuerenter genibus & sublatis in cælum manibus, inter orandum acceptissimum Deo Spiritum commendasse, quemadmodum Paulum primum Eremitam obiisse tradit Hieronymus. ita ille. Et certe memini me vidisse

Bruxellis

Bruxellis in summō altari Monasterij S. Benedicti Anglicanarum virginum, Assumptionem sanctissimæ Deiparæ tali schemate nuper depicta. Verum non est ideo tam facile cōmuniſ altera pictura reiicienda, quæ antiquæ & probatæ confuetudini hactenus innititur.

S. Antoninus verò part. 3. reprehendit picturam illam qua in extremo iudicio appingunt B. Mariam & S. Joannem Bapt. orantes, Tit. 8.c. 4. eò quod Origenicum dogma de saluatione damnatorum videatur §. 11. sapere, ac directè illi repugnare quod ex Hieron. citat Gratianus: In præsenti seculo scimus orationibus inuicēnos posse iuuari: cūm autē ante tribunal Christi venerimus, nec Iob, nec Daniel, nec Noe rogarē posse pro quoquam. Verum vītātā in plurimis Ecclesijs picturam, diuersis responsionibus saluat Ioan. Molan. nempe, eam sic esse intelligendam, quod Maria & Baptista ac reliqui sancti tunc pīct. c. 18. gratias acturi sint Christo pro aduentu regni eius, & pro alijs innuineris acceptis beneficijs. Item, quod tunc sancti rogabunt pro quibusdam, vt det illis Dominus inuenire misericordiam in illa die & hora extrema: non autem quasi damnati saluandi essent. Rursus pictura hæc significare potest, quod neque Maria neque Ioannes orans pro damnatis exaudietur. Ac postrem homines etiam tam perfectos tremere iustitiā iudicis. Adderem ego (si quid tanti viri obsolutæ doctrinæ addi posset) quod sèpè de historia illa in Choro nostro desculpta cogitauit, eam repræsentare, duas illas excellētissimas personas, S. Virginem Mariam & Præcursum Domini (quo sanctior inter natos mulierum non extitit) in persona omnium sanctorum pro nobis nunc apud eum intercedere, qui iudicaturus est viuos & mortuos.

E 3 Decimo-